



Universitätsbibliothek Paderborn

**Sortes, Qvibvs, Ne Temere Cadant, Temperandis; Vel, Si
Temere Dvcvntvr, Castigandis, Divini Ivdicii Æqvitas
Semper Adest**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 5. Sortes etiam diuino instinctu monstratas rectè vsurpari, sitamen rectè examinentur; exemple S. Augustini, apertione libri, Dei voluntatem discentis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52306)

furto Achan deprehendēdo, mandauit, De⁹,
his verbis : *Accedetis manè singuli, per tribus
vestras: & quamcunq; tribū sors inuenerit, ac-
cedet per cognationes suas, & cognatio per do-
mos, domusq; per viros.* Sic in reum inquiri
iussit Deus. Quis summum Iudicem iudicet
malè iussisse? Qui vtique etiam rectè iussit,
Num. 26. quando Moyſi dixit : *Istis diuidetur terra,
53. iuxta numerū vocabulorum in possessiones suas.
Pluribus maiorem partem dabis, & pauciori-
bus minorem: singulis, sicut nunc recensiti sunt,
tradetur possessio: ita duntaxat vt Sors terram
tribubus diuidat & familijs. Quidquid sorte
contigerit, hoc vel plures accipiant, vel pau-
ciores.*

§. V.

*Sortes etiam diuino instinctu monstratas rectè
usurpari, si tamen rectè examinentur;
exemplo S. Augustini, apertione li-
bri, Dei voluntatē discantis.*

Quartum documentū. Nec iussione dun-
taxat, sed etiam admonitione diuina, quan-
do ea est satis clara, *Sortes rectè consulun-
tur.* Quod D. Augustino factum est, de vi-
tæ statu deliberanti. *Flebam, inquit, ama-
rissima contritione cordis mei: Et ecce audio
vocem de vicina domo, cum cantu dicentis, &
crebrò*

S. Aug. l.
8. Con-
fess. c. 12.

crebrò repetentis, quasi pueri, an puella nescio:
Tolle lege, tolle lege. Ac ne temerè videatur
credidisse ignotæ vocis admonitioni, subi-
iungit: statimq; , mutato vultu, intentissimus
cogitare capi, utrumnam solerent pueri, in ali-
quo genere ludendi, cantare tale aliquid, nec
occurreret omnino, audiuisse me vsquam. Eant,
qui sorte consultoria se ipsos fallunt, & que-
rant, quam prætexere possint excusationem
suæ leuitati; cum D. Augustinus, ne clarè
quidem monenti voci statim voluerit fidem
adhibere; quia & imaginatio potest decipi,
& vox ab alio etiam ad aures accidere, im-
mo ab Alastore etiam fingi. Qua de causa
cautela opus est, præsertim mulierculis, &
simplicibus, quibus omnis phantasia reue-
latio videtur, alioqui ad sortilegia pronis.
Si tamen vel vox est prudenter examinata,
vel instinctus bene exploratus, si spiritus
probatas, num ex Deo sit; & potius, si con-
stet de reuelatione, ad hoc genus fortiendæ
diuinæ voluntatis excitante, nequaquam
ei est reluctandum. Discretio autem spiri-
tuum, est peculiare donum Dei, nec penes
vnumquemq;. Quare, ne in eiusmodi ne-
gotijs, illusionibus se quis exponat, peritio-
res debet consulere, & finem æquè ac inter-
nam

nam

nam lucem spectare, maximèque personam illam, cui reuelatio est facta. Qua de re legendus est Delrius lib. 4. disq. c. 1. q. 3. sect. 1. 2. & 3.

§. VI.

S. Franciscus sorte, usus, ut sciret, quid Deo gratissimum exhibere posset. Et qualis ea fors fuerit?

D. Antonin. 3. p. sum. hist. tit. 24. §. 7. D. Bonauent. in vita S. Francisc. c. 13.

Hoc pacto, carptim & obiter D. Antoninus, plenè D. Bonauentura narrat, S. Franciscum sorte usum. *Immissum est eius menti, ait, per diuinum oraculum, quod, in apertione libri Euangelici, aperiretur ei à Christo, quod Deo, in ipso, & de ipso, maximè foret acceptum. Oratione itaq, cum multa deuotione premissa, sacrum Euangeliorum librum de altari sumptum, in SS. Trinitatis nomine aperiri fecit, per socium, virum utiq, Deo deuotum & sanctum. Sanè, cum, in trina libri apertione, semper Passio Domini occurreret, intellexit vir Deo plenus, quod sicut Christum fuerat imitatus in actionibus vite, sic conformis ei esse deberet in afflictionib⁹ & doloribus Passionis, antequam ex hoc mundo transfiret. Optima utique fors fuit, quæ docuit, non vlcisci inimicos, sed diligere; non sectari delicias, sed, cum Christo, & pro Christo, crucem ferre.*

§. VII.